

§. 19. *Anima tradux est notio deceptrix.* Terminus enim complexus est *anima tradux*. (per princ. Log.) Singulis quidem terminis sua respondet notio, sed conjunctim prolatus terminus involvit *ἀόρατον*, & repræsentat ea, quæ consistere nequeunt. Animæ enim notio supponit substantiam simplicem, quæ non successive sed uno instantaneo actu oriri debet, quia in ente simplici, quale est anima §. 2. nihil quod sibi invicem succedere possit, cogitari potest (§. 694. Ontol.) *Tradux* autem (abstractive pro translatione sumtus) successivum & in tempore factum ortum indicat (§. 699. Ontol.) Successive autem & instantaneo actu fieri implicat contradictionem. Traduciani ergo, cum aliquid sibi dixisse videantur, somnio suavi delusi nihil dixisse deprehenduntur.

§. 20. *Animæ paternæ vis traduci similis est glaucoma & notio fallax.* Qui notionem ejus, quod observat, in ipsam causam transfert sibi obscuram, eamque per modum entitatis in causa fingit, is *notione deceptrice* se & alios ludit (§. 136. Log) Traduciani observant rationem existentiam animæ in causa generante latere. Simulac enim generatum & conceptum est corpus, anima coexistit cum corpore. Ergo ut explicent causam orientis animæ, *vim animæ paternæ traducem* allegant. Sic enim benedictionem divinam de multiplicatione hominum interpretantur. Vi huic traduci nulla alia notio